



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Titvlvs XXXVIII. De Procuratoribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Necessarias petat, &c. quæ omnia & plura alia ex diversis iuribus probant Civiles & Theologi, qui videri possunt, apud quos etiam videre est, quid agere debeat Advocatus, qui bonâ fide putans causam esse justam, à principio in se suscepit, si lite durante injusta postmodum appareat illi;

& quando ad restitutionem aliquam faciendam teneatur Advocatus, si causam prodidit, aut ob infirmitatem perdidit, & quem effectum, aut quam pœnam secum trahat contra interdiciam postulationem advocare.

TITULUS XXXVIII.

DE PROCURATORIBUS.

§. I.

Quis sit Procurator, & quomplex?

Procurator propriè dicitur, qui aliena negotia (tam judicialia quàm extrajudicialia) mandato Domini administrat, (per quod distinguitur à negotiorum gestore, qui sine mandato aliena negotia agit, & ut distinguitur à Tutore, Curatore, &c. qui non Mandato Domini sed publicæ Legis aut Magistratûs vel Testatoris voluntate administrant) ita ut tam pro Reo quàm pro Actore Procurator intervenire possit) quamvis qui pro Reo intervenit, magis propriè defensor dicatur) modo mandatum Domini habeat ad causæ aut negotij ipsi commissi administrationem. Sunt quidem aliqui, qui in definitione dicant, *gratis administrat*, quia Procuratoris officium gratuitum est *l. item 15. Cod. h. e.* hodie tamen etiam pro certo salario Procuratores constituuntur.

Est autem Procurator alius universalis, sive generalis, qui omnium negotiorum speciali mandato non indigentium, administrationem dicto modo habet, Alius

specialis est, cui certam aliquam litem, negotium, aut rem administrandam commisit Dominus: ille nonnunquam constituitur adjectâ clausulâ: *Cum liberâ*: hoc est cum plena potestate agendi omnia prout Dominus potest, præterquam quòd donare non possit: alius dicitur Procurator dicitur, constitui in rem alienam, non tantùm, ut aliena negotia et Mandato Domini agat, sed ut omnis utilitas negotij gesti alii etiam cedat: alius dicitur, consti tui in rem suam, ad aliam quidem negotia agenda, ita tamen ut ipsi Procuratori cedat utilitas negotij gesti, quod fit, quando, Dominus Procuratori suo cessit, aut vendidit jura sua & actiones, quo in casu actiones directæ contra Debitores semper manent penes cedentem, cujus offibus, ut jura loquuntur, inhaerent, utiles verò actiones transferuntur in cessionarium, &c. Alius denique Procurator constituitur ad lites & judicialia, & judicialis dicitur, alius ad alia negotia extrajudicialia administranda, & extrajudicialis dicitur, qui in quibus differant, vide apud Auctorem Methodi hinc

§. II.

De iis, qui possunt constituere Procuratorem, vel non possunt.

Primo dubitatur de Universitate, an Procuratorem etiam ad causas in iudicio agendas possit constituere. *re. ex e. Quia in causis 7. h. t.* patere, quod tam ad agendum, quam ad defendendum constituere possit procuratorem (quem iura Civilia auctorem partis sive Syndicum vocandum putant) quia Universitas tanquam persona ficta loco Domini habetur, ita tamen ut Procurator ab ea constitutus de calumnia iurare debeat, etiam si speciale mandatum de hoc non habeat, quod absque speciali mandato non tenetur facere Procurator à privato constitutus.

Secundò dubitatur, an excommunicatus possit constituere Procuratorem ad agendum. *re. ex e. Consulti. 15. h. t.* colligi, quod sicut excommunicatus per se ipsum agere non potest in iudicio, ita nec possit per Procuratorem; *juxta Reg. 67. in 6.* si tamen à communitate aliqua sit constitutus ad agendum Procurator, cujus aliqui quamvis Majores sine illius communitatis, seu Senatores & Regentes, sunt excommunicati, non erit invalida talis constitutio, nisi excommunicati in literis procuratoris fuerint expressi, vel nisi excommunicatorum tantum auctoritate fuisset hæc Procuratoris constitutio facta, vel nisi ipsa communitas sciens illos esse excommunicatos, hos admisit ad una secum procuratorem constituendum; quamvis enim actus communitatis collegialiter facti non vitentur ex eo, quod eorum aliqui sunt inhabiles, cum hi in

tali casu censeantur esse ab illa Universitate pro tunc, quo tempore inhabiles sunt, exclusi, si tamen in mandato procuratorio ipsi excommunicati expressi sint, vel aliunde appareat, quod eorum auctoritate Procurator constituatur, nulla erit hæc constitutio, cum in tali casu satis appareat, quod inhabiles ad Procuratorem constituendum suam auctoritatem interponant; qualiter invalida etiam est Procuratoris constitutio, si Communitas sciens Majores suos aut Consules esse excommunicatos, ad constituendum tamen procuratorem admittunt, in peccatum scilicet temerariæ hujus admissionis, & quod satis ostendant, nolle se sine his Procuratorem constituere.

Tertiò dubitatur, Regulares an procuratorem constituere possint. *re. Primò Prælatos Ecclesiasticos regulares ad illas causas, quas per se agere soli possunt, tam in iudicio quam extra sine consensu Capituli, posse etiam Procuratorem sine consensu Capituli tam judicalem quam extrajudicalem constituere, non quidem ad omnia negotia in genere, quod sine consensu Capituli facere non possunt, sed ad aliqua minus ardua negotia.* Circa hæc Monasterij negotia Capitulum non potest constituere Procuratorem, cum Prælato, non Capitulo administratio talium bonorum de jure concedatur, nisi Capitulum sua peculiaribus bona ad suam administrationem spectantia habeat: Religiosus verò privatus Procuratorem nec constituere, nec substituere potest sine licentia sui Superioris, uti habetur in *Clement. Religiosus 3. h. t.* nisi casus talis aliquis sit, in quo sine licentia Superioris sui per se in iudicio agere potest.

Quartò dubitatur, utrum teneatur quis dare Procuratorem, qui ad iudicem citatus per se comparere non potest: Respondetur ex *c. Querelam 2. h. t.* si iustum non veniendi impedimentum habeat, gravem v. g. infirmitatem, causa tamen gravis & ardua sit, non teneatur constituere Procuratorem, nisi impedimentum perpetuum, aut diuturnum sit, & causa differri non possit, quamvis enim cum suo damno cogi non debeat, ad mittendum Procuratorem citatus, neque tamen etiam huic cum alterius præiudicio subveniri debet; ex quo Capitulo à contrario sensu etiam inferri potest, si vel causa gravis & ardua non sit, neque iusta causa citatum impediatur, quòminus comparere possit, debere eum vel per se, vel per Procuratorem comparere.

§. III.

Quinam possint dari Procuratores, vel non?

EX *c. 1. h. t. in 6.* habetur, quòd regulariter quilibet Procurator dari possit, & idoneus reputetur, ita ut Laicus etiam non quidem ad eligendum, qui actus Capitularis est, nec ad iudicandum, ubi requiritur iurisdictio, sed ad agendum & defendendum in iudicio etiam in causis spiritualibus possit Procurator constitui (cùm in hoc casu solum & nudum ministerium exerceat alterius nomine Laicus, absque eo ut jus aliquod illi comperat, aut titulus) & filius familiaris etiam tam extrajudicialis quàm judicialis Procurator invito etiam Patre constitui possit, prout etiam habetur in *c. Qui generaliter 5. §. Necdum h. t. in 6.*

Prohibentur tamen Procuratores dari ad iudicia, qui sunt minores 25. annis, ut patet ex modò cit. *c. Qui generaliter*. Sed nec Clerici in majoribus constituti praesertim Sacerdotes Procuratores dari possunt, nisi in causis suorum Episcoporum aut Ecclesiarum *c. In nostra 4. h. t.* Religiosi verò, ut Procuratores ad lites constitui possint in casibus suo monasterio utilibus, Superioris sui licentià indigent *Clement. Religiosus 3. h. t. junctà Glossà V. Licentià* nisi pro consorte suo in eadem lite agant, & nisi Prælati sint Monasteriorum. Excommunicati autem prohibentur de jure Canonico esse Procuratores in *c. Intelleximus 7. de iudici. c. Distinguimus 8. de sententia excommunicati. in 6. c. Post cessionem 6. de probat.* præter quos plures adhuc alii excluduntur de jure Civili, ut Procuratores constitui non possint. Vide Auctorem Metho; hic.

IV.

De causis, in quibus constitui possit Procurator, vel non potest.

IN omnibus causis & negotiis adhiberi potest Procurator, in quibus id non reperitur expressè prohibitum. Prohibentur autem constitui Procuratores in causis criminalibus, ubi de pœna capitali, vel alia corporali, quæ major est relegatione, pro crimine imponenda agitur, sive ad defendendum reum absentem, sive ad accusandum constituatur, ne per absentiam rei condemnati, aut accusatoris ad pœnam talionis de jure se inscribentis iudicia reddantur elusoria. *c. Veniens 15. de accusat. junctà Glossà V. Criminalis*, nisi de crimine non agatur criminaliter ad pœnam legalem & publicam, sed civili-

ter tantum ad penam pecuniariam v. g. aut aliam similem. *c. Tna. h. t.* Et Procurator non tam ad defendendum reum, sed ad exceptiones aliquas dilatorias adhibeatur, aut causam absentiae excusandam.

§. V.

De forma, seu modo constituendi Procuratorem.

Procurator constitui potest non tantum praesens, sed etiam absens, modo consentiat (tacite vel expresse) seu ratam habeat constitutionem talem (uti sumitur ex *Clement. 1. h. t.* & probat ratio, quod sicuti nemo regulariter Procuratorem constituere cogitur, ita minus nemo cogi potest, ad officium Procuratoris acceptandum. *c. Licet 7. h. t. in 6.*) & constitui potest non tantum unus, sed plures etiam super eadem causa & lite constitui possunt; vel simul eodem tempore, vel diversis temporibus, vel in solidum, ita ut singuli seorsim sine aliis litem prosequi possint, vel simpliciter, sicuti autem si plures in solidum constituti sunt Procuratores, datur praeventio locus, ita ut qui prius agere coeperit, & per litem contestationem causam prius occupaverit, praefendus sit aliis, nisi posterior in solidum diverso tempore constitutus prioris constitutionem tacite revocet, uti habetur in *c. Non injuste 14. h. t.* Sic si plures simpliciter constituti sint, non debet unus sine altero admitti, uti statutum est in *c. Si duo 6. h. t. in 6.*

§. VI.

De Mandato Procuratoris, & satisfactione Procuratoris.

Procuratorem ad litigandum non admitti in iudicio sine mandato legitimo, à Domino seu Principali habito, quod iudici exhibeat, fidem de eo faciens, ex *c. Alia 1. h. t.* patet. Nisi Procuratores tales, nullum mandatum habentes, personae essent intra quartum gradum v. g. conjunctae, & pro personis taliter conjunctis agant, ac nullo speciali mandato egeant (quo in casu cavere tamen debent, quod principalis ratum sit habiturus, quidquid illius nomine egerint) aut consortes ejusdem litis essent, ut habetur in *l. 2. Cod. de Consort. ejusdem litis*, ita ut in casu, quo sive à Reo sive, ab Actore datur non habens sufficiens mandatum (ad agendum v. g. tantum si à Reo datus sit, non autem ad defendendum) Procurator habet, perinde censeri debeat, ac si nullus datus fuisset, cum paria sint, aliquid non fieri, aut eo modo fieri, quo fieri non potest. *l. 1. §. Quod si nemo juncti à Gloss. V. aut inhabilis, ff. Quod cujuscunque Universe nomine Ec.* & taliter qui dedit Procuratorem, puniri possit in expensas, *c. Constitutus 12. h. t.* Est hinc ut legitimum instrumentum sit procuratorium, debet continere nomen constituentis Procuratorem, & constituti Procuratoris, item contra quem, & in qua causa, coram quo, ad quos actus (puta ad agendum an defendendum) Procurator constituatur, & quod ratum sit habiturus Dominus seu Principalis, quidquid ille egerit. Inferendus etiam est annus & dies factae constitutionis.

Cc 3 tutio-

tutionis, & observanda etiam alia, quæ Curia illa, pro qua Procurator constituitur, observari vult, ac probandum tale mandatum per alia instrumenta, vel per testes, vel denique præsumptionem ex conjunctione sanguinis &c. Et quamvis Actoris Procurator, si de mandato legitimo constet, non teneatur de ratihabitione Domini, aut Principalis cavere, cum ratihabitione necessaria non sit, quando certum est mandatum *l. Unica Cod. de satisfaciendo*, Reus tamen Procurator, quamvis de legitimo illius mandato constet, non admittitur sine satisfactione de iudicato solvendo, nisi Dominus iste satisfactionem præstiterit, neque enim Adversario satis cautum esset de executione, si neque à Domino, neque à Procuratore ejusmodi satisfactio præstaretur. Hodie tamen circa hæc omnia consuetudo potius recepta & praxis Curiarum &c. attendenda est.

§. VII.

De Officio, & potestate Procuratoris.

In genere dici potest, quòd officium Procuratoris non nisi ad ea se extendat, quæ in mandato procuratorio eidem inunguntur, cum juxta *L. diligenter ff. Mandati. fines Mandati diliget. i. v. nstodiendi sint.*

In specie verò primò dici debet, quòd Procurator ad agendum constitutus, constitutus etiam censeatur ad respondendum, seu defendendum Actorem (saltem in consequentiam) si à reo reconveniat, prout summitur *ex c. Accedens 10. b. c.* Secundò, Procurator generaliter consti-

tutus ad negotia (non addito *judicialia & extrajudicialia*) censeatur etiam constitutus ad judicia tam petitoria, quam possessoria (exceptis casibus qui speciale mandatum requirunt) uti habetur in *c. Generaliter 5. b. t. in 6.* non tamen censeatur Procurator generaliter constitutus, constitutus etiam ad causas criminales, si criminaliter de his agatur. Tertio constitutus generaliter Procurator nihil eorum agere potest, quæ speciale mandatum requirunt, quamvis cum clausula constitutus sit, ut omnia expedire possit, etiam si speciale mandatum exigant (cum etiam hæc forma adhuc nimium generalis sit, ad ea, quæ specialiter & nominatim exprimenda sunt) nisi in procuratorio mandato unus vel plures Articuli expressi essent (per modum permissionis non tantum exceptionis) qui speciale mandatum requirunt, & adjecta sit clausula generalis, ad omnia speciale mandatum requirentia se extendens, hoc enim in casu admitti debet: Procurator taliter constitutus etiam ad alia speciale mandatum requirentia, modò non sint majora & graviora expressis, Uti habetur in *c. Qui ad agendum 4. b. t. in 6.* Ex quo ipso Capitulo etiam habetur, quòd Procurator generaliter constitutus absque speciali mandato non possit juramentum deferre parti adversæ ad litis decisionem, nec possit transigere, ut pacisci, nec compromittere in Arbitrium &c. nisi causæ, aut bonorum libera administratio sit concessa. Quarto ad officium Procuratoris etiam spectat, appellare, ut constat *ex c. Non injuste 1. b. t.* non tamen cogitur, appellationem prosequi invitus, cum per appellationem interpositam satis consultum sit Domino, ut sententia

sententia illi non transeat in rem iudicatam, prosequi autem appellationem, si alia instantia, ad quam constitutus non fuit Procurator, nisi in genere fuisset constitutus ad omnes lites, aut appellatio tantum facta esset à sententia interlocutoria (in his enim casibus tenetur prosequi etiam appellationem, eò quòd mandatum ad omnes se lites extendat, & per sententiam interlocutoriam non finiatur prima instantia, ad quam constitutus fuit Procurator) Quintò denique ex *c. Non indiscretè* 1. §. licet & §. Procurator h. 1. in 6. patet, quomodo substituere possit suo loco Procurator alium Procuratorem. Regulariter scilicet illud non licere, nisi post litem à Procuratore contestatam, per quam sit Procurator Dominus litis, non autem ante litem contestationem, nisi in rem suam Procurator datus sit, seu in proprium commodum, aut à Domino expressam accepisset potestatem, etiam ante litem contestatam substituendi alium, vel tantum ad extrajudicialia negotia constitutus esset, quo in casu sine speciali mandato Domini ad unum aut alterum casum vel Articulum, qui speciali mandato non indiget, aut ad quem expediendum non fuit electa industria personæ, Procurator alium substituere potest.

§. VIII.

An, & quâ ratione factum, vel omisso Procuratoris noceat Domino, seu Principali, & quinam alii sint effectus Mandati Procuratorii?

SI procurator omisit aliquid, quod ex legis vel iudicis præcepto Dominus

iple facere debuisset, hic verò Procuratori suo faciendum commisit, nocet tale omisissum Domino, nisi casus fortuitus Procuratorem impedivisset, à tali se sibi à Principali demandata faciendâ.

Quòd si verò Lex aut Iudex ipsi Procuratori faciendum aliquid demandâisset, & hic negligentia suâ id omisisset, non Domino hæc omisissio nocet, *c. 1. Vt lite non contestata* &c. nisi sciat Dominus, & tolleret negligentiam aut contumaciam Procuratoris, in tali enim casu tacite consentire videtur. Si autem certum non sit, omissionem Procuratoris cadere in delictum, & pœnam mereri, præjudicabit Domino talis omisissio, qui sibi imputare debet, quòd imperitum & negligentem Procuratoris constituerit, quæ verò à Procuratore positivè fiunt, & illicitè, pœnæ obnoxia, non præjudicant Domino, nisi speciale mandatum ad illa faciendâ habuisset Procurator, vel rem ab hoc illicitè factam, ratam postmodum habuisset Dominus aut Principalis, cum delicta suos debeant tenere Auctores. Confessio tamen Procuratoris post litem contestatam in iudicio facta ordinariè Domino præjudicat (uti constat ex *c. Suborta* 21. junctâ *Gloss. V. per Confessionem. De senten. & re iudicat.*) nisi Dominus illam revocet, & ostendat errorem.

Alios plures effectus Mandati Procuratorii vide apud Auctorem hîc, vel apud Civillistas.

§. IX.

§. IX.

An & quomodo officium, ac potestas Procuratoris ad judicia dati finiatur per revocationem ejusdem à Domino factam?

Quod Procurator ad lites ante litem contestatam liberè revocari possit, (modò nullum ex inde præjudicium incurrat revocatus Procurator) non autem post litem contestatam, expressè statutum habetur in *c. Quamvis 2. h. t. in 6.* Cùm enim per litem contestationem fiat hujus instantiæ dominus, consequenter ipsius interest, non revocari saltem nolens, nisi causa aliqua intervenerit ex illis, quæ in *relato. c. referuntur*, & probata fuerit. Neque tamen hoc ipso Procuratorem revocare quis censetur, si generaliter constitutus sit, quòd ipse dominus causam agere velit, prout habetur statutum in *c. Si quem 8. h. t. in 6.* Cùm per hoc quòd Procuratorem in genere constituerit dominus, jus, sua agendi, per se non amiserit, neque alteri auferre velit, si fortassis ipse absit, aut agere aliter non possit. Debet autem revocatio Procuratori, ut valida sit, & sententia contra illum lata, in præjudicium Domini nulla sit, fieri saltem coram testibus, ut probari possit, & pervenisse ex voluntate Principalis ad notitiam Procuratoris revocati, uti sumitur ex *c. Ex insinuatione 3. h. t.* ac partis adversariæ, uti sumitur ex *c. In nostra 4. h. t.* (cujus interest, ne revocetur Procurator) aut judicis, uti sumitur ex *c. mandato 13. h. t.* Non tamen tenet revocatio Procuratoris, quæ fit in contemptum judicis, præsertim Sedis Apostolicæ, & in præjudicium adversarii, pro-

ut sumitur ex *c. Audiis 8. h. t.* & revocans in expensas condemnari potest ab adversario factas, à tempore revocati Procuratoris, si revocatio facta fuit, postquam in causa conclusum est (ob contumaciam scilicet partis litigantis, quæ nec per se nec per Procuratorem in judicio vult comparere) neque potest substitutum Procurator, qui substituendi potestatem à domino habet, revocare post mandatum procuratorium substitutionis ab eo acceptum, quamvis hoc ultimum nondum fuerit (cùm à domino non revocandi, sed substituendi concessa sit illi licentia) nisi post litem contestatam substituerit, quo in casu revocare poterit substitutum (causâ tamen cognitâ) pro jure suo sibi, ut domino litem, non quidem à domino, sed à legibus concessio.

§. X.

De revocatione Procuratoris ad negotia, & aliis modis, quibus finiunt officium Procuratoris sive ad negotia, sive ad judicia dati.

Etiam Procurator ad negotia extrajudicialia, à Domino constitutus ad hoc revocari potest, liberè quidem, & pro arbitrio constituentis, si res adhuc sit integra, quamvis sit sub juramento de non revocando constitutus; ex justa verò causa, si res integra non sit amplius, ne mandatarius talis damno afficiatur. Suum autem effectum revocatio hæc Procuratoris ad negotia extrajudicialia generaliter constituti habet, ubi notitia illius ad hunc devenierit, & intimata hæc fuerit, ita ut, quæ à revocato, sed ignorante suam revocationem acta fuerunt, ordinariè valida sint, non tamen, quæ ab

eo post cognitam suam revocationem acta fuerunt *L. Si mandasset, 15. ff. Mandati*. Si verò ad speciale aliquod negotium cum certa persona peragendum constitutus fuit, ordinariè necessarium est, ad validam hujus revocationem, hanc non tantùm Procuratori intimatam fuisse, & innotuisse, sed debet etiam parti, cum qua v. g. contahendum erat, intimari, cum hujus vel maximè interfit, scire Procuratoris constitutionem aut revocationem.

Finitur autem officium Procuratoris etiam primò, mutuo constituentis scilicet & constituti consensu, juxta regulam juris, quâ dicitur, eodem modo dissolvi aliquid, quo colligatum est. Secundò finitur finitâ instantia per sententiam definitivam, ad quam constitutus est, cum non sit gravandus ultra, quàm in se suscipit. Tertio finitur per mortem domini constituentis, si res adhuc integra sit,

nisi caverit jam de judicato solvendo dominus seu principalis, juxta §. *Si verò aliquis. Instit. de satisfactione*. Quin imò etiam si res integra jam non sit, expirat tamen officium Procuratoris ad lites vel negotia pro Ecclesia constituti, si naturaliter, vel civiliter mortuus sit Ecclesie illius Prælatus, qui Procuratorem constituit; juxta *Clement. ult. h. t. junctâ Gloss. V. revocari*. Quia extinctâ principalis potestate, quæ non transit ad successorem, extinguitur etiam substituti potestas, ne præjudicium patiatur Capitulum, ad quod jurisdictio devolvitur, nisi fortasse cum hujus etiam consensu à Prælate Procurator constitutus fuisset ad negotia, quæ etiam Capitulum, vacante Sede, agere potest. Quartò denique expirat officium Procuratoris per hujus mortem, cum electa sit industria personæ ad hæredes non transiens.

TITVLVS XXXIX.

DE SYNDICO.

SYNDICUS differt à Procuratore, quòd hic à quocunque privato constituitur, & in causa privata possit, ille verò ab Universitate tantùm, vel Communitatis aliqujus administratoribus, uti sunt Episcopi, Capitula, Prælati Monasteriorum, &c. & quidem ad causas publicas; & hinc officium illius privatum dicitur, quod in iuris imponi non potest, hujus verò publicum, quod in iuris non nunquam suscipere quis cogitur, &c. Constituitur au-

Pirhing, Compend.

tem Syndicus ab illis ex communitate aliqua, qui jus suffragii habent, modò duæ illorum, qui volunt, possunt, & debent interesse, partes sint præsentis, & major pars præsentium consentiat; & si bona ac jura, super quibus Syndicus constituitur, communiter ad Prælatum Ecclesie v. g. & Collegium talis Ecclesie pertineant; Ad constitutionem Syndici requiritur ipsius etiam Prælati consensus: potest tamen solus etiam Præ-

D d

tus